

quo minus præcepta observent, bona opera præsentent. Quid si cum cultro circumcisionis ad illos veniretur? Pati hominem parum est quia ei conaturale: pati vero Deum, et quidem in corpore infantili, illud mirum et stupendum est.

V. Circumcisionem spiritualem vitiorum et passionum nostrarum; licet enim Christus ea non indigerit indignus tamen nos; et quemadmodum citharædus in gratiam discipuli pulsat citharam suam non ut sciat ipse, sed ut doceat discipulum, ita fecit Christus. Vidit enim necessariam nobis esse, si quid uspiam, circumcisionem illam, siquidem intra nos gerimus matrem seu radicem omnium vitiorum, concupiscentiam, quæ per totum hominem pravos gignit et emittit surculos, quibus apprehendat honores, opes, voluptates, etc. ac nisi surculos illos continuo ac perpetuo recidamus, toti silvestremus et vitis obruemur. Hortulanus si diligens horti sui cultor est, semper in cingulo secum circumfert cultrum seu falcem putatoriam, quæ subinde enascentia vitulamina vel excrecentes herbas amputat, præsertim si quam præclaram figuram nominis Jesu, v. g. in areola descripsit; ita nobis quoque faciendum. Hortus noster corpus est et anima in quibus nunquam desinunt succrescere vitulamina vitiorum. At licet hisce diebus inserpserimus cordi nostro Jesum, opus tamen adhuc est perpetua cultura, ut in nobis conservetur; itaque culter mortificationis perpetuo adhibendus est, juxta apostoli exemplum II. Cor. IV. dicentis: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* « Parum est, inquit S. Bern. serm. LVIII. super Cant. semel putasse, sæpe putandum est; imo si fieri potest, semper quod putari oportet, si non dissimulas, invenies. » Intret unusquisque hortulum suum, et videbit habere se quod agat et circumcidat. Clerici primo videant, annon fortasse quæ suæ sunt quærant, magis quam quæ Jesu Christi; et hunc effectum circumcidant; laici annon mundo potius et carni serviant, quam Deo.

Superiores annon ad privata commoda, quam ad reipubl. totius sint attentus et studiosi.

Subditi, annon contra superiorum suorum ordinationes murmurent.

Domini, annon æquo austeriores et duriores sint contra subditos.

Servi, annon ad oculum tantum dominis suis serviant.

Parentes, annon malo exemplo sint liberis suis.

Liberi, annon malitiosi et fraudulentus ad parentes circumveniendos.

Divites, annon luxui nimis dediti, vel erga miserios duri.

Pauperes, annon pigritiæ dediti et benefactoribus ingrati.

Conjugati, annon abutantur suo conjugio.

Cælibes, annon cogitent ea quæ Domini sunt, et Christo sponso suo placere quærant, etc.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Cur in veteri lege instituta circumcisio? — II. Quid significat circumcisio? — III. Quare circumcisus Christus? — IV. Cur octavo die? — V. Cur vocatus Jesus? — VI. Cur sic vocatus post circumcisionem? — VII. Quomodo Salvatoris munus executus est? — VIII. An et quam venerandum hoc nomen?

## THEMA.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. II.

Pugnare secum videntur Joannes evangelista et Isaias propheta in descriptione Salvatoris nostri. Joannes enim, cap. I. scribit: *Et vidimus gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ.* Isaias contra, cap. LIII. scribit de eodem: *Et vidimus eum, et non erat aspectus; et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.* Quid hoc rei, auditores? Nimirum Christus Dominus ita in suis pene omnibus operibus conjunxit gloriam et majestatem suæ divinitatis cum abjectione et humilitate suæ humanitatis, ut simul utraque elucesceret. Concipitur ut homo; sed modo admirando, opere Spiritus sancti nascitur in stabulo; sed ex virgine, et prædicatur ab angelis, nuntiatur a stellis, adoratur a magis. Hodie circumciditur ut servus, sed interim appellatur Jesus; fugit in Ægyptum, sed interim terret regem. Denique ut omittam alia, patitur in cruce; sed interim movet cælum et terram, et glorificatur a latrone ipsisque elementis. Isaias igitur humilitatem ejus vidit; Joannes vero gloriam. Nos in præsentiarum utramque contemplabimur, in quantum utraque eluxit in die hodierno. Videamus circumcisionis humilitatem et nominis claritatem.

I. Cur in veteri testamento instituta et præcepta a Deo circumcisio? Resp. ut esset signum memorativum pacti a Deo cum Abraham initi, Gen. XVII. ut videlicet Judæi eo signaculo monerentur, se jam transisse in fœdus illud quo se Deo obstrinxerant, ut essent ei in peculium, seu populus Deo, ejusque cultui dicatus, et consecratus. Scimus certe dominos suis mancipiis stigma in fronte imprimere, ut eorum servitio mancipatos se intelligant: scimus etiam dæmonem, quasi Dei simiam stigma imprimere sagis suis, quo

notentur transisse in jus et dominium dæmonis, cui tamen alioquin jure subjecti non sunt. Multo æquius Deus notare potuit servos suos quibus jure, dominatur, signaculo servitutis.

Secundo, ut esset signaculum justitiæ Abrahæ, quam per fidem adeptus erat, antequam circumcideretur; sicque ipse esset: *Pater omnium credentium*, ex gentilibus, qui similiter per fidem consecuturi erant justitiam, ut docet apostolus ad Rom. IV.

Tertio, ut esset signum distinctivum fidelium ab infidelibus, Judæorum scilicet a gentilibus.

Quarto, ut esset signum destructivum et purgativum peccati originalis, quod per gubernationem transfunderetur in posterum.

Quinto, ut esset figura baptismi, per quem similiter ingredimur in Ecclesiam, sicut Hebræi ingressi erant per circumcisionem; et profiteremur fidem publice quemadmodum Hebræi suam religionem profitebantur per circumcisionem, quibus in hoc feliciores longe sumus, quod medium, multo suavius præscripserit nobis Christus, quam olim Deus Hebræis. Quis enim non malit baptizari, quam circumcidi?

II. Quid moraliter significat circumcisio? Respond. significare præcisionem vitiorum omnium, et totius concupiscentiæ, quæ fit cultro mortificationis, et hæc obligat etiam nos Christianos. Unde ad Coloss. II. ait apostolus Christianis: *Circumcisi estis circumcisione non manu facta, etc.* Ea vero explicatur ab eodem apostolo in h. d. epistola ad Tit. I. *Ut abnegantes impietatem et secularia desideria sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo.* Porro sicut Hebræi per corporalem circumcisionem Deo consecrati et quodammodo desponsati erant, ita etiam per spiritualem circumcisionem desponsamur Deo. Cujus rei figuram habemus Deut. XXI. ubi præcipit Deus, si quis e captivis mulieribus aliquam adamarit et ducere in uxorem voluerit, ut ipsa prius radat casarium et circumcidat ungues. Hoc enim facit anima, cum vitia præterita per contritionem deponit, et peccandi occasiones fugit.

III. Quare circumcidi voluit Christus? Respond. primo, ut ostenderet se in veritate, carnem assumpsisse, propter Manichæum, Valentinum et Apollinarem, qui dixerunt, Christum tantum habuisse corpus phantasticum, aut cæleste vel divinum. Secundo, ut suo exemplo legem circumcisionis a se olim latam approbare, et contra obtrectatores gentiles, qui propterea Hebræos contemptui et ludibrio habebant, Apelles, Verpas, Recutitos appellabant, defenderet.

Tertio: *Ne legem, quam ipse dederat solvere videretur*, inquit Bern. tract. de pass. Dom. c. II.

Quarto, ut cum suis popularibus, utpote circumcisis cum circumcisis tanto liberius agere eosque ad se pertrahere posset; ipsique excusationem non haberent, si Christum non susceperent.

Quinto, ut hoc grave legis jugum in se suscipiendū, eos; quid sub lege erant, redimeret.

Sexto, ut signaculum servitutis et remedium peccati originalis in se susciperet qui venerat a servitute peccati nos liberare, et similitudinem peccatoris accipere.

Septimo, ut doceret: « Nos oportere non agere, si quando pœnas peccati patimur, quod in nobismetipsis non recognoscimus; cum ipse peccatorum purgator, non fuerit dedignatus pro nobis subire remedium peccatorum, » inquit S. Bern. loco cit. Retundit ergo hic superbiam et impatientiam nostram, qui peccare quidem volumus, sed non pœnitere. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur, ait enim S. pater, serm. I. de Circumcis.

Octavo, ut suam divinitatem absconderet diabolo. Tametsi enim hic subodorari poterat infantem illum supra hominem aliquid habere, aliunde tamen ex servili ejus conditione in dubium rapiebatur.

IV. Cur octavo die circumcisus? Resp. primo, ut legi, quæ hoc mandarat, Gen. XVII. (propterea quod infans ante octavam diem nimis tener et debilis est) se accommodaret, adeoque nobis obedientiam erga legem divinam commendaret.

Secundo tropologice, ut nobis amorem suum et desiderium patiendi pro nobis ostenderet, qui octavo statim die, pretiosum suum sanguinem fundere cœpit. « Vide, inquit S. Bern. ubi supra. quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quam paratus et promptus sanguinem effundere, circumcisis pro nobis, die nativitatæ suæ octavo. Utinam nos saltem et anno octavo non nihil pro Domino pateremur. »

Tertio analogice: « Ut per circumcisionem, octavo die factam et simul nominis impositionem intimaret iis, qui digni sanctorum consortio censentur quod eorum nomina scriberentur in cælis, et æternæ beatitudinis quæ post vitæ hujus septimanam consequitur, hæredes fient et consortes, quicumque vitæ innocentia et cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent, » inquit S. Cyprian. l. IV. card. Christi oper.

V. Cur vocatus Jesus? Respond. quia *salvatoris erat populum suum*, ut dixerat angelus: *Jescua enim Hebr. salvatorem et salutem significat.* Hoc eodem nomine tres insignes prælati condecorati fuisse leguntur in veteri testamento: Josue dux populi Israelitici, quem duxit in terram

promissionis (Josue enim et Joscua seu Jhosua vel Jescua idem sunt et significant quod Jesus; et ita vocatur Josue a Septuaginta interpr.) alter Jesus filius Josedech summus sacerdos: tertius Jesus Sirach auctor Ecclesiastici, doctor synagogæ. Nec absque causa: fuerunt enim hi tres, figura Christi Jhu, qui ad tres potissimum fines in hunc mundum venit. Primo, ut nos redimeret: secundo, ut nos doceret: tertio, ut exemplo suo duceret, sicque nobis esset: *Vita, veritas et via*. Quoad primum, figura illius fuit Jesus summus sacerdos, qui Judæos e Babylonica captivitate in Jerusalem reduxit, ibique sordidis vestibibus, quibus indutus venerat, abjectis, novis pulchrisque indutus est, ut habetur Zach. III. ac templum reedificavit. Sic enim Christus, nos e confusione et captivitate peccati in gratiam reduxit, tuncque in resurrectione, deposita carne mortali, immortalē et gloriosam induit, atque Ecclesiam instauravit. Quoad secundum, figura ejus fuit Jesus Sirach, doctor synagogæ, quia mundum docuit viam cæli. Quoad tertium, figura ejus fuit Josue, qui præivit duxit populum per desertum in terram promissionis quemadmodum et Christus exemplo suo ad viam cæli ineundam, et conficiendam nos pertraxit. Rursum salutis nostræ negotium in tribus omnino consistit, in redemptione, justificatione, glorificatione. Christus nobis hæc omnia præstitit: in primo, figuratus per Jesum summum pontificem; in secundo, per Jesum doctorem; in tertio, per Josuen seu Jesum ducem. Quamobrem jure vocatus est Jesus, id est, Salvator, quoniam talis erat, et vere ipse solus, si ad sensum, non ad sonum vocis attendimus, nemo enim hæc omnia, adeoque veram salutem præter ipsum attulit.

VI. Cur nomen hoc sortitus est post circumcissionem? Resp. quia placuit ei non prius tam glorioso nomine insigniri, quam id promerisset, sanguinem suum pro nobis fundendo. Quam ob causam merito caput aperimus, et genua submitimus, cum nomen hoc audimus; siquidem id nomen adeoque salus et redemptio nostra magno ei stetit. Non facimus hoc Christi audito nomine; quia nomen hoc dignitatis est, regibus et sacerdotibus commune.

VII. Quomodo Salvatoris munus executus est? Respons. exactissime, quia omnes ejus vivendi rationes et studia, miracula, conciones, indefessi labores, denique mors ipsa, ad salvandum destinata erant. Duo sunt quæ maxime aliquem insignem et illustrem in arte vel munere aliquo efficiunt; primum effectus vehemensque studium, artem illam apte et cum laude exercendi; alterum ut quis artem calleat. Quam autem Christi cordi

inhæserit nominum salus, quanta sitis, quis nesciat, nam et somni et cibi obliviscebatur, et peragrabat omnes vicos, oppida, castella, ut animarum salutem curaret, quinetiam, Marci III. ita in hoc opus incumbebat, ut crederetur a suis in furorem versus. Deinde, ita callebat artem hanc, ita penetrabat modum, quo singuli salutem, sine liberi arbitrii jactura consequi possent, ut nec angeli, nec hominis perspicacia eo attingere possit. Hinc est, ut his, qui fœdas voluptates amabant, proponeret jucunda, uti Samaritanæ, Joan. IV. *Aquam quæ fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, quæque omnem extingueret sitim: his qui aurum sitiabant thesauros polliceretur æternos: Vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, habebis thesaurum in cælo: parvulos amplexaretur, juveni præciperet mandatorum observationem, utpote adhuc rudiori; eos qui siderum arte pollebant, per stellam ad se vocaret: non abhorrebat a peccatoribus, non illos a se abigebat, licet adessent, qui propterea murmurarent. Porro ab iis, quæ a Salvatoris munere et partibus aliena viderentur, sedulo abstinerebat, ut cum petenti cuidam: *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*, respondit: *Homo quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Luc. XII. Item cum corripuit filios Zebedæi gestientes perdere Samaritanorum civitatem, dicens: *Nescitis cujus spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, Luc. IX. Denique, si a capite illum ad pedes usque intueamur, Salvatorem undique fatebimur. Undique salutem spirat, verba ejus verba vitæ æternæ sunt, oculi peccatores sanant, sputum cæcis lumen tribuit, contactus vestis sanguinem sistit, contactus manuum lepram pellit, vox defunctos suscitavit. Quemadmodum enim bos gibbosus, quem Hispani corcobado vocant nihil pene in corpore suo gerit, quod non salutarem usum præbeat hominibus: nam et sanguinem ejus recentem hauriunt indigenæ more potus, et carnem crudam edunt loco panis, cornibus utuntur ad pocula, vesica et ventriculo pro vasis, pelle pro utribus, e corio domos, funes, calceos ac vestes, ex ossibus arma conficiunt, e nervis fila crassiora, e pilis tenuiora, stercore ignem nutriunt uti et nos ligno, Cardan. l. VII. de variet. cap. XXXIII. Ita quæcumque in Christo sunt, vel quoquo modo ei adherent, salutaria mundo sunt: carne ejus pascimur, sanguine ejus potamur et abluimur vulneribus ejus sanamur, nuditate ejus vestimur, cruce ejus inflammamur ad Dei virtutum amorem, etc.*

VIII. Estne venerandum hoc nomen et quantopere? Respond. omnino et super omnia alia nomina, quia apostolo teste *est nomen super omne nomen*, ad Philip. II. adeoque venerabilius ipso

nomine tetragrammato, Jehovah. Primo, quia est proprium Verbi incarnati nomen significans totam incarnationis et redemptionis œconomiam, seu Deum, qua Salvator et redemptor est. (Hoc autem beneficium redemptionis majus est, quam creationis; quia nihil nasci profuit nisi redimi profuisset, ut Ecclesia canit.) Nomen autem Jehovah significat Deum, qua Dominus et creator est. Ad hæc redemptoris nomen includit nomen creatoris, non e contra; quia redemptio supponit creationem, non contra. Hinc inferit Abulensis, in c. XX. Exodi, majus esse peccatum accipere nomen Jesu in vanum, quam nomen Dei, et confirmat ex usu Ecclesiæ, quæ audito nomine Jesu flecti genua et inclinat caput, non autem audito Dei nomine. Secundo, quia non ab homine vel creatura aliqua, sed a SS. Trinitate Christo est impositum, et ab archangelo in terras delatum. Tertio, quia est nomen per quod omnes salvi fieri debemus; siquidem salutem et Salvatorem nobis annuntiat. Quarto, quia est nomen efficacissimum, primo, ad corporis ægritudinis curandas, Act. III. *In nomine Jesu Christi surge*: secundo, ad pellendos e corporibus demones, Marc. ult. *In nomine meo demonia ejicient*. Exemplum habetur, Act. VI. § XVIII. ita

ut etiam perfidi aliqui ad id, hoc nomine uterentur eventum quandoque felici, ut Luc. IX. vers. XLX. quandoque infelici, ut Actor. XIX. vers. XIII. Tertio, ad eorumdem Dæmonum tentationes et insidias pellendas; quod experti S. Anton. Hilarion, Edmundus, Abrahamus, alique; denique, ad miracula patranda, omniaque sanctificanda. Ac licet effectus prædicti quandoque etiam per alia Dei nomina obtineantur, non tamen toties ac tam certo licet, nec in nominis Jesu invocatione tanta efficaciam certitudo sit, quanta est in sacramentis, quia non extat hujus rei promissio vel sanctio aliqua. Sexto, quia usu receptum fuit apud omnes Christianos, ut hoc nomen summe honorarent, capitis adaptione, poplitem flexione, vel alio honoris indicio, ut cum eleganter pingitur radiis solari-buscinctum, item dum nemo sibi hoc nomen ausus est tribuere. Denique, quia a Sibyllis olim pronuntiatum fuit, ut docet acrostichis illa versuum Sibyllæ Erythrææ, quorum primæ litteræ hoc reddunt: Jesus Christus Filius Dei Salvator, et crux.

Superest ut hoc nomen et nos omni veneratione colamus, ut per Salvatorem salutem consequamur, etc.

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

## VARIÆ STRENÆ VARIIS OPTANTUR.

I. Magistratui, ut fiant hortulani. — II. Religiosis, ut morianturæ. — III. Consiliariis, chiragra. — IV. Literatis, ut stulti fiant. — V. Conjugibus, ut vir surdus sit, uxor autem cæca. — VI. Virginibus et viduis, podagra. — VII. Pauperibus, ut tales maneat. — VIII. Divitibus, ut descendant in infernum viventes.

## THEMA.

*Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales.* Act. XXVI.

Antiquissima consuetudo est, ut hoc die alter alteri bonum et felicem annum optet. Quin et antiqua opinione seu superstitione potius creditum est, nihil hoc die mali optandum esse; eo quod crederent optata revera eventura. Motus inde quispiam, præsentibus multis, optavit sibi hodie: *Utinam deberem decem millia aureorum!* Absit, inquit adstantes: nihil hoc die mali optandum, quia evnere solet. Verum alter: *Nescitis, inquit,*

quid optarim. Bene, non male mihi sum precatus. Debeo enim centum millia aureorum: opto igitur ut solum decem millia debeam. Refert Pontanus, in Att. bellariis. Multoties videtur aliis malum est quod optatur, cum revera bonum sit. Ita cum Agrippa rex tetrarcha Judææ audiisset Paulum vinctum, Christum prædicantem, et dixisset: *In modico suades me Christianum fieri*, Paulus respondit: *Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales*, scilicet Christianos. Hic certe optimam rem optaverat Agrippæ, quamquam ille hoc non intellexit, sed, abrupto colloquio, surgens discessit. Igitur si et ego Paulum imiter, et vobis optem ea, quæ carni quidem displicent, animæ vero ad salutem prosunt; spero utique vos non discessuros cum Agrippa, cæco et gentili, sed libenter accepturos, et sicut oportet sano intellectu, non, ut sonant, ad litteram interpretatos.

I. Primæ videntur deberi magistratui sive ecclesiastico, sive sæculari. Et quid huic optabo? Opto ei ut induat naturam hortulani. Hoc optavit ac persuasit pius quidam eremita Theodosio im-